

**05
A
549**



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-563985-p0002-5

DFG

I. N. J.
DE
NATURA PEC-
CATI ORIGINIS
DISPUTATIO THEOLOGICA.

QVAM

publicæ sententiarum collationi
exponit

*VIR Admodum Reverendus, Amplissimus atque
Excellentissimus*


DN. ABRAHAM CALOVIUS

S. S. Theologiæ D. & Professor Publ. celeberrimus,
Ecclesiæ Wittebergensis Pastor, & Consistorii Ad-
fessor dignissimus, totiusque Circuli Electoralis Sa-
xon. Superintendens gravissimus

RESPONDENTE

BARTHOLOMÆO BATTO,
Gryphisvaldensi Pomerano.


*Ad d. 17. Julij in Acroaterio Majori
horis antemeridianis.*



WITTEBERGÆ
LITERIS JOHANNIS HAKEN, An. 1656.



OS A 549



I. N. J.
DE NATURA PECCATI
ORIGINALIS.

§. I.

Natura & Descriptio peccati Originalis, sine dubio, è solis S. literis cognoscenda venit: ut propter de cuius Existentiâ nihil ratio humana, verbi DEI luce destituta, novit, nihil indagare potuere Philosophi, & Scrutatores Naturæ perspicacissimi. Nascimur omnes ex carne: sed quod nascamur tales, nemo, nisi Christo edocente, novit Job. III. 6. Est hæc veritas, & sapientia in occulto, quam DEUS notam facit nobis Ps. LI. 8. Ideò peccatum originis dicitur occultum Ps. XI X. 13. ut & absconditum Ps. XC. 8. quod humanæ rationi incognitum sit, nisi luce verbi manifestetur. Si-
cut è contrà opera carnis manifesta dicuntur, Gal. V. 13. Concupiscentiam peccatum esse non novissem, inquit Apostolus, cum de peccato originis dicere parat Rom. VII. 7. nisi lex dixisset;
Non concupisces. οὐ γέφεν Scriptura, non ratio hominis, non na-
tura, aut dictamen naturæ Κύριος τε τὸν κόσμον conclusit omnia sub pecca-
tum Gal. III. 22. Quod universale, atq; commune peccatum, sine
dubio, est peccatum originis. Pravum est cor omnium & inscruti-
abile, quis cognoscet illud? inquit Jeremias cap. XVII. 10. Si co-
gnosci cor, ut pravum & inscrutabile natura est, non potest,
ecquis Philosophis revelatione verbi DEI destitutis eam no-
titiam adscribat! Longè aliter S. Augustinus l. IV. contrà
Julian. c. XV. de Philosophis gentilibus, Quid illi, inquit, di-
cierant, vel quid loquuntuerant de primo homine Adam, & ejus
conjuge de primâ eorum prævaricatione, de Serpentis astutiâ, de
nuditate corporis ante peccatum sine confusione, & cum confusione

continuo post peccatum. Quid denique tale audierunt, quale illud est, quod ait Apostolus: Per unum hominem peccatum in mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransit, in quo omnes peccaverunt. Harum literarum illi, atque hujus veritatis expertes, quid de hac re sapere potuerunt? Hac Augustinus.

§. II. Reperiuntur equidem nonnulla in Gentilium libriss, quae peccatum originis exhibere, videri queant. Notum est Platonis illud, l. II. de Rep. *Homines suâ naturâ sunt mali, & induci non possunt, ut justitiam colant, sed tantum ne injustitiam patiantur.* Nec obscura sunt, quae tradidit Cicero l. II. Tuscul. question. *Simul atque editi sumus in lucem & suscepti, in omni continuo pravitate, & in summâ omnium perversitate versamur, ut penè cum lacte matris errorem suxisse videamur.* Sed qui è talibus sententiam Ecclesiæ deducunt, quid Ecclesiæ voce originale peccatum sit, sese haud intelligere, produnt. De proximitate aliquâ ad malum, quam in semetipsis senserunt, locuti sunt Gentiles: *malum originale*, etsi maximè vim suam in ipsis exeruerit, non intellexerunt. Atque hoc est, quod S. Augustinus, cum l. IV. contrâ Julian. c. XII. Ciceronis l. III. de Rep. sententiam adduxisset, hominem non ut à matre, sed ut à novercâ editam in vitam corpore & nudo, & fragili & infirmo: animo v. anxio ad molestias, humili ad timores, molli ad labores, prono ad libidines, in quo tamen inesset tanquam obrutus quidam divinus ignis Ingenii, atque mentis: Ut ut Juliano, ad Philosophos omnes provocanti, non immerito candem opponeret, Quid ad hæc dicis! Non hic autor iste male viventium moribus dixit effectum, sed NATURAM potius accusavit: ilicò, ne quis doctrinæ fidei notitiam infidelibus adscripsisse Augustinus crederet, subjiciendum censuerit: sensisse quidem Ciceronem malum illud, legem peccati in se, membrisque suis, & quodnam id sit, & unde originem habeat, an à naturâ, qualis ipsa semper fuerit, profectum sit, anverò aliunde inventum, ignorasse penitus, hoc est, ut verbo dicam, ipsum peccatum originale nescivisse. *Rem, inquit, vidit, causam nescivit.* Latebat enim e-

um,



um, cur esset grave jugum super filios & Adam à die exitus de ventre
matri eorum usq; in diem sepulturæ in matrem omnium, quia sacris
literis non eruditus **I G N O R A B A T O R I G I N A L E PEC-
C A T U M.**

§. III. Sed videri tamen posset præcipius Platonis Di-
scipulus Plotinus non omnino ignorasse originale peccatum,
qui l. i. Enn. V. c. i. hanc format quæstionem: Quod istæ ani-
mæ, quæ naturæ divinæ participes sunt, ita oblivioni tradiderint
& D E U M parentem suum & agnationem suam, & seipfas, quid
tandem causæ esse potest! Ad quam hisce respondet: Profecto ini-
tium mali temeritas, & audacia, quia voluerunt sese mancipare,
& sui juris esse; itaq; libertate ad licentiam abusæ, adversam pla-
nè viam elegerunt, adeoq; alienæ factæ sunt à D E O, (ut non secus,
ac infantuli, qui ab ipsis incunabulis à parentibus separantur) cujus
sint, aut unde, aut quales planè ignorent. Hæc ille: quæ admo-
dum analoga fortassis quis dixerit Ecclesiæ dogmati, de pec-
cato originis. Verum enim verò fateri hic Mornanus ipse, qui
summo studio è Philosophorum scriptis doctrinam Ecclesiæ
comprobare sategit, coactus est; in eo hallucinatum esse Ploti-
num, quod peccati causam in homine, qualis nunc est, invenire vo-
luit, & quia rationem ab imaginatione, imaginationem à sensibus
deludi subinde animadvertisit, exinde profluere peccatum arbitratus
est: Cum potius in homine, qualem D E U S fecerit, sensus & appe-
titus compote, querere eam deberet, cuius voluntaria & spontanea
culpa eam, quam nunc luimus, pœnam provocavit. Quod ubi pro-
bè observaveris, toto cœlo sententias Philosophorum à fide
Ecclesiæ dispare, minimè obscurum fuerit.

§. IV. Quæ Plato ipse, quæ Empedocles & Pythagoras, de
animâ in corpus, tanquam in carcerem, pœnæ causâ, detrusâ,
eiq; præter naturæ ordinem mancipatâ tradidere, si quid co-
gnationis cum doctrinâ Ecclesiæ habere sibi quis persuadeat,
quasi corpus istud, quod animæ pro domo esse debuit, justâ D E I
sententiâ in carcerem commutatum fuerit: aut quod Pherecydes
Syrus Dæmonem, qui terram devastavit, serpentem fuisse, dixit,
aut quod Homerus de Dea Ate, id est, Damno, seu Pernicie, de

cælo in terram præcipitatâ cecinit, & quæ his sunt gemina; is, si omnino animo sedeat, confundere commenta Philosophorum & Poëtarum cum dogmatibus Ecclesiæ, fateri saltem tenebitur, quodcunq; & quantumcunq; de his habuerint sive Philosophi, sive Poëtæ, non è naturâ vel unius naturalis luminis beneficio id hauiisse, sed aliundè traditum accepisse, suisq; commentis, pro more, involuisse; Quemadmodum Plato ab arcano quodam oraculo, quod magni fecit, Philolaus Pythagoricus ab antiquis Theologis & Prophetis ista profecta esse, testati sunt. Fortè nec ignota fuere quibusdam Sybillinæ oracula, in quibus origo mali perspicuè satis tradita;

"Ἄνθρωπος πέπλασαι Θεῶς παλαμᾶς ἐνί αὐταῖς.

Οὐτε πλάνης εν ὅροις δόκως ἐπὶ μοῖραν αἰνέλθειν

Τῇ Σαβάτῳ, γνῶσιντε λαζεῖν, ἀγαθῆτε κακῆτε:

Hoc est: Homo formatus est manibus ipsis DEI,

Quem seduxit serpens dolosus, ut ad sortem veniret

Mortis, cognitionemq; caperet boni & mali.

Quid verò de Sybillinis oraculis habendum, exposuimus, quantum satis, Tomo I. Systematis Theologic. Cap. VI. pag. 276. &

Quæst. X. p. 440. unde illa, si placet, repetantur.

§. V. Superest Hermes, τευχηγός laudatus à Veteribus pariter & neotericis, qui in Pœmandro c. i. ipfam Ecclesiæ sententiam expressissime videri queat: DEUS, inquit, hominem ad similitudinem sui considerat, eiq; res omnes utendas tradiderat, verum qui in DEI contemplationem & timorem totus defigi debuerat, nescio, qui d'ipse facere voluit, quo factum, ut à cœlesti contemplatione in elementarem, seu generationis sphærum delapsus sit. Quia omnium rerum potiebatur, vehementi amore sui exardescens, cepit se se mirari, inq; seipso gloriari; unde sese implicuit eo modo, ut corporis servus sit factus, qui anteà liber, & solutus erat. Sed quantum, Hermetis scriptis, quæ nunc leguntur, tribuendum sit, ne inter ipsos quidem Criticos satis constat. Casaubonus certè non veretur ea pronunciare, Τευχηγός, & Christiani, vel potius semi-Christianiani alicujus figura Exercit. I. advers. annal. Baron. p. 53. Cui haud abnuit Dionysius Petavius l. i. de Trinit. c.

II.

II. Pemandrem vel ab aliquo è fece veterum hæreticorum, Semi-
Christianos, vel à plano & impostore quodam, qui Christianis myste-
riis fidem apud Ethnitos conciliare voluerit, profectum esse, adstru-
ens, siquidem lamblico in libro de mysteriis, autore, Aegyptii
Scriptores omnia inventa à Mercurio esse crediderint, eiisque
ideo libros suos inscripserint. Si quæ tamen Mercurius, quod
attinet ad Philosophiam, quæ se docere profitetur, unde fiant ho-
mines beati, olim tradidit, ea à Mose, omnis Sapientiæ oceano
manasse, præclarè S. Augustinus docet, I. XIX. de Civitat.
Dei. c. XXXIX. ne ullæ gens, de antiquitate sapientiæ sua super
Patriarchas & Prophetas, ullâ se vanitate iniquâ jaëtet, quando
nec Aegyptius de eâ gloriari valet. Quæ Clementis etiam Ale-
xandrinî I. VI. Stromat. est sententia. Mose enim posteriorem
esse Trismegistum Juniorem, cuius scripta celebrantur, Augu-
stinus, loco laudato, adstruit; ut notam audaciæ ac temerita-
tis, more confveto, incurrat Jesuita Petavius, dum OMNES,
tam Veteres, quam recentiores ipsum Mose hand paùlo antiquio-
rem facere, confidenter asleverat.

§. VI. Utcunque a. Gentiles aliquod malum naturâ insi-
tum agnoverint, non tamen vel bonum, cui succedit malum
originale, vel primam hujuscemodi mali originem cognoscere per
naturæ lumen potuere, neq; malum illud pro peccato habue-
runt, imò vitia nobiscum nasci tantum abest ut admiserint, ut
vel cum Philosopho statuerint, quod neq; virtus, neq; vitium
quæ naturâ insit, aut generetur 2. Ethic. Nic. c. I. & V. vel virtu-
tum semina ingenii nostris innata, cum Tullio III. Tuscul. credi-
derint, quæ, ut ipse ait, si coalescere liceret, ipsa nos ad vitam be-
atam perducerent. Est ergò hæc doctrina de peccato originis
Ecclesiæ propria, è solâ Scripturâ nota. Ut mirari subeat cùm
illos, qui cum Mornæo è Philosophiâ & scriptis Philosophorum
id probant: tum Novatores, qui dogma hoc, pari prætextu,
quod nempe naturâ constet, è Systemate credendorum, vel articu-
lorum fidei eliminatum eunt; quemadmodum peccatum o-
iginis olim Pelagius rem questionis dicebat, non fidei.

§. VII.



§. VII. Dicitur a. peccatum Originis triplici respectu : Primò ratione primævi ortus , quod sub ipsa mundi cunabula, à primâ nempe defectionis origine ceperit, qvum homo à Deo se- se avertendo , & aversus, & perversus habitualiter evaserit, in- que locum originalis & habitualis justitiæ concreatae injustitia illa originalis & habitualis, per apostasiam contracta, suc- cesserit : quemadmodum *Diabolus homicida* dicitur απ' ἀγχῆς , ab initio, defectionis sc. suæ Joh. IX. 44. In primâ n. creationis origine nulla erat peccati diadeois vel inclinatio : *DEUS fece- rat hominem rectum. Eccl. VII. 30.* *Languorem istum culpa me- ruit, natura non habuit,* ait *Augustinus* libr. de Contin. C. VII. Secundò ratione procreationis posteriorum Adami : quod à pri- mā eorundem origine, per propagationem, inde à primis pa- rentibus omnibus ipsis natura insit : quia, ut *Ambrosius* ha- bet in Apol. David c. XI. *antequam nascamur, maculamur, contagio, antequam usuram lucis, originis ipsius excipimus injuriam.* Tertiò respectu peccatorum actualium, quæ inde, si primam apostasiam primorum parentum excipias, quæ ta- men ab ipso originali peccato in ipsis non differt, siquidem apostasiā illâ unicâ habitualiter apostatae, peccato uno inobe- dientiæ habitualiter inobedientes & inusti facti fuerint, propul- lulant, & originem habent omnia atq; singula. Dicitur ori- ginaletum ratione principii, quod fuit *Adam*, à quo ceu cō- muni origine malum hoc propagatur ; tum ratione subjecti, quod cum cuiusvis hominis origine suam habeat originem ; tum ratione effecti, peccatorum reliquorum, quorum respe- ctu etiam quibusdam radicale peccatum dici consyevit.

§. IX. Distingvere solent Scholaftici peccatum originis in *originans* & *originatum*, ut barbarè loqvuntur. *Originans* primum dicunt Protoplastorum peccatum, vel *actum illum vitiosum*, quo primitus transgreslus homo est præceptum di- vinum. *Originatum* vocant *habitum vitiosum*, quem primus homo transgressione illâ contraxit, & postmodum in poste- ros propagavit : Unde *originatum* & *in protoplastis considerari* potest, & *in posteris ipsorum*. In illis à primâ transgressione u- nicè

nicè ortum habet : in his proximè à carnali parentum propagatione remotè à primævâ Adami prævaricatione. Intelligimus a. communiter peccatum originis hoc posteriori respectu, & quale in posteris est, atq; ita carnalem propagationem involvere solemus, in ejus definitione, ad exprimendam e- jusdem causam proximam.

§. IX. Variæ peccati originalis occurunt *appellationes*; aliæ *Biblicæ*: aliæ *Ecclesiasticae*. E Sacris Scripturis vocatur
(1) *Imago Adam* è Gen. V. 3. opposita *imagini DEI* primis parentibus concreata; quia Adam non ad DEI imaginem, ad quam conditus erat, sed ad suam, quam per inobedientiam induerat, liberos procreavit. (2) *immundicies* è Job. XIV. 4. quia omnis animæ inquinatio à peccato originis est, quod natura immundi simus, ex immundo concepti. (3) *Malum absolutè* è Gen. VI. 5. c. IX. 21. (4) *peccatum absolutè* Rom. VII. 8. atq; ita pariter (5) *absolutè iniquitas* Ps. LI. 7. quia fons & origo est omnis mali, omnis peccati, & iniquitatis. (6) *peccatum occultum* Psalm. XIX. 13. & *absconditum* Ps. XC. 8. quod lateat, cum non se exerit, quodq; nulla ratio id agnoscat, imò nemens quidem, verbo DEI edocta, satis consideret. (7) *Periculum juventutis*, seu *infantiae*, & *nativitatis* Ps. XXV. 7. quemadmodum vox Ebraea usurpatur Jud. XIII. 7. *Quid faciemus puer*, qui *nascetur*? Ex. II. 16. *Vidit esse infantem*. Es. VII. 16. antequam sciat puer reprobare malum, & eligere bonum? Distingvuntur enim ibi à Psalte peccata actualia, & delictum juventutis, vel originale. (8) *Malum adjacens*: Rom. VII. 17. non per extrinsecam parastasim, sed per accidentalem quidem, at *intimā περιχώρην*. Ita n. παράκατω, ut etsi non constituat hominis essentiam, ambiat tamen universam naturam, intimeq; pervadat eandem. Ideò dicitur (9) *Peccatum inhabitans* Rom. VII. 12. quia factum est nobis δικαιον, & *domesticum*, inhabitans carnem, quoad usq; anima inhabitat in hâc vita corpus. (10) *ἀμαρτία ἐν περισσατε* & *peccatum undique* & *firmiter circumstans*, omnianque membra intimè pervadens, atq; occupans; quæ περισσασis vehementissima est ac tristissima: περισσασis θλίψis notat, ju-

B

xtà



xtà Varinum , παντάχοθεν εἰς ἀδημονίαν ἐποίειν , afflictionem
undi quaq; ad tristitiam ad gentem : Hæc tristissima πεπίσας ad-
hærescit nobis per universam vitam pertinacissimè , αὐτοπτία εὐ-
πεπίσαται , ut semper quidem θερέμενοι simus , deponentes ean-
dem , (semper enim , ut id fiat , S.S.monet) nunquam tamen
plenè peccatum hoc exui , vel deponi possit , nisi cum vitâ i-
psâ . (ii) *Concupiscentia* è Rom. VII. 7. fac. I. 14. quia prava est cu-
piditas ad omnis generis peccata , transcendens , vel potius
transgrediens omnia præcepta ; *Concupiscentia* inescans & ab-
strahens , ut à Jacobo describitur : *Peccatum decipiens Rom. VII.*
ii. Concupiscentia decipiens , ἐπιδυπλεύτων Eph. IV. 22. (12) *Lex*
peccati in membris nostris , *lex rebellans Rom. VII. 23. partim*
ob instinctum , impulsu& coactionem , quam per modum di-
ctaminis , & instar legis vincentis & cogentis , præstat , ca-
ptivans nos sub sui obsequium ; partim ob obedientiam , quam
nos ipsi sponte præstamus , siquidem huic alteri legi , ut vocat
Apostolus , planè contrariæ legi D E I , in membris nostris , o-
mnia nostra membra , omnesq; facultates nostræ naturali
quodam impetu , obtemperent promptissimè . (13) *Corpus pecca-
ti* : Rom. VI. 6. quia ut corpus ex variis membris compactum ,
ita in peccato originali certo modo sociata sunt omnia pecca-
ta , ceu in colluvie malorum omnium ac lue , quæ totum ho-
minem omnesq; ejus partes & vires infecit , teterrimâ . Di-
cuntur & corpora integræ cætus , legiones , civitates : ut hîc notat
Grotius : Sed magis textui congruit metaphora à membris & cor-
pore humano desumpta Conf. Rom. VII. 23. Nonnulli *corpus pec-
cati* dici volunt , quod instar corporis , id est , personæ , quæ σώ-
ματος nomine venit , facultates , viresque suas habeat , atque
exerat , ac si esset res per se subsistens ac viva . Quo nomine e-
tiâ [14] dicitur *vetus homo* 2. Cor. IV. 16. Confer Rom. VII. 22. nō
abstractè quasi peccatum in se peculiaris quidam homo sit , vel
de substantia hominis , sic n. gemina esset diversa substantia , &
essentia in uno homine fingenda , *vetus & nova , externa & in-
terna* ; sed concretivè , dum homo , quæ *vetus* , iuxta vetorem ex-
ternam nativitatem spectatus , opponitur novo homini , quæ
is

is novitè regenitus est spirituali & interiori soli D E O patenti regeneratione. [15] Vocatur caro : Gal. V. 17. non tam subjectivæ, quod in carne hæreat , Rom. VII. 18. quam ab opposito ; qua nempe caro spiritui opposita, corruptionem spiritualem infert, per carnalem generationem propagatam Joh. III. 5. idque per metaphoram, quâ caro & fragilitatem , & corruptionem designare consuevit. [16] Vocatur Corpus peccatorum carnis Col. II. 11. totam compaginem & colluviem peccatorum carnis cōpleteens , in quâ virtus atque omnia peccata sunt, quâq; delecta nulla superant , vel propullulant peccata . [15] Dicitur arbor mala è Matth. VII. 14. quæ malos tantum fructus profert; quæ v. appellatio non accipienda sensu substanciali & proprio, sed causalí & comparativo : quod instar malæ arboris sit peccatum originale , vel potius homo, quâ peccato originis corruptus. [18] Radix amaritudinis sursum germinans. Ebr. XII. 15. quam appellationem Synonymam peccato originis facit B. Chemnitius ; quod naturam ejus non malè exprimat : etsi non diffiteamur ibi peccatorem malitiosum , alios corruptentē designari. hic v. peccatum originis in exercitio, & Dominio suo libero in tali homine spectatur, ipsumq; radix amaritudinis dici potest , sursum germinans, & inquinans , quia facit , ut tales simus. [19] Antiquum fermentum malitiæ & nequitiae , corruptens totam massam, I. Cor. V. 6. 8. Quam appellationem huc itidem refert B. Chemnitius ; quem ordine nomina peccati originalis Biblica, juxta Scripturas U. & N. T. recensentem , cui placet , conferre poterit.

§. X. E Terminis Ecclesiasticis frequentissimus est peccati Originalis, qui ab Augustino in vectus videtur , quum non occurret alia emphatica appellatio , quæ Pelagianæ hæresi commodius opponeretur , unde hac constantè & ubique ferè usus est B. Augustinus , Pelagianorum malleus. Similes tamen appellations , apud alios Dd. Augustino priores leguntur , unde talem ad evitandam novitatis suspicionem elegit, quæ & ante ipsum receptis formulis consonaret , & ab hæretico non ita facilè eludi posset : siquidem etiam Ambrosius ante usuram

lucis ORIGINIS INIURIAM nos excipere, dixerit in Apol. David c. XI. quæquid aliud est, quam ORIGINIS PECCATUM? Idem contrà Novat: Omnes homines, inquit, sub peccato nascimur, quorum ipse ORTUS in vitio est, dicente David, Ecce in iniquitatibus conceptus sum. Quibus ortus in vitio, illos oportet vitium vel peccatum originis habere. Simile his est, quod Hilarius habet in Ps. CXIX. dum explicat illud Davidicū; Ecce in iniquitatibus conceptus sum: Scit sub peccati origine & sub peccati lege se esse natum. Si sub peccati origine nascimur, annon peccatum originis nobis connascitur? Fallor, an clarius adhuc ibidein hanc ipsam appellationem tradiderit: Natura quidem & origo carnis suæ eum detinebant, sed voluntas, & religio cor ejus ex eo, in quo manebat, ORIGINIS VITIO ad justificationum opera declinat. Et in Cap. VII. Matth. Ipsiſ apostolis, licet jam verbo fidei emundatis atq[ue] sanctificatis non deesse tamen malitiam per conditionem communis nobis Originis docuit: vos cum sitis mali &c. Malitia per conditionem communis nobis originis adhærens, annon est malitia vel peccatum originis, quod nunc vocamus? Nec ab ludit Hieronymi phrasis in quæst. Hebraic.super libr. Reg. de Abigail: Nullum admisisse mortiferum prohibetur peccatum, nisi id, quod ORIGINALITER de Serpente antiquo contraxit. Quod illud est, nisi originale peccatum!

§. XI. Reperiuntur & alia in antiquitate nomina, hoc peccatum declarantia. Ignatius Epist. ad Trall. peccatum originis vocat τακαιαν δυσέβειαν antiquam impietatem: Ireneus l. IV. c. 5. antiquam Serpentis plagam; Tertullianus appellat traducem mali. Cyprianus l. III. Epist. XX. ad Fidum contagium mortis antiquæ prima nativitate contractum: Item alienum peccatum, Eādem epistolâ Origenes l. IX. in Epist. ad Rom. Sordem peccati, à quâ non est mundus quisquam & i. IV. contr. Cels. maledictionem Adæ, communem omnium. Arnobius l. I. advers. Gent. vitium infirmitatis ingenitæ: Ambrosius in Apol. David. naturæ inquinamenta & contagii: Rheticius Episcop. apud Augustin. l. I. contr. Pelag. c. II. antiqui criminis pondus, hominem
ve-

veterem cum sceleribus congenitis. Olympius Episcopus, apud eundem, peccatum, quod cum homine nascitur, ob vitium à Protoplatis mortifera transgressione in germine sparsum. Gregorius Nazianz. orat. de Baptis. primas nativitatis maculas; Chrysost. in Eph. VI. πρώτην ἀμαρτίαν primum peccatum, quod corpus & animam corrumpit, quod opponit illi, quod post lavacrum committitur. Augustin. I. I. contr. Jul. c. 5. peccati ex origine contagium I. II. contr. Julian. primi peccati originale contagium, & peccatum quod ingeneratur: I. I. Retract. peccatum hereditariū. I. II. de peccat. orig. contr. Pelag. & Cælest. c. 33. vitium naturæ: I. III. de peccat. inerit. c. 3. propaginem & traducem peccati: Hypognost. IV. Naturale malum; quod tamen ne in rem suam converterent Manichæi, sic explicavit: Naturale malū, inquit, sic dicimus, non quia sit naturæ, D E O opifice, congenitū, sed quod à peccante natura transferit in peccatricem naturam, id est, quod sit naturæ peccatricis vitium: non ipsa natura, &c. B. Lutherus in artic. Smalcald. vocat capitale vel principale peccatum, **H**erediti^sunde: eò quod sit reliquorum peccatorum caput, fons & radix. Vocat & personale peccatum, ac naturale, non quod substantiale quid sit, sed quod personam & naturam ipsā inficiat, & cum naturā ac personā incipiat, ac propagetur. Ut à peccatis actualibus discriminetur. Germanicè usitatisimè vocatur Erbsünde tum quod hereditarium sit peccatum, tum imprimis, quod in ipsa procreatione ex contagio naturæ propagetur in liberos; uti solent morbi nonnulli corporis propagari, quemadmodum vocatur Erbgrind / Erbschwind-
sucht &c.

s. XII. Jam quod ad definitionem realem peccati originis attinet, non frustra eam inquire, aut nihil ad fiduci doctrinam, quod Pelagius olim contendit, hodie Arminiani, & cum ipsis Novatores censem, facere, existimandum est: Necesaria enim est, juxta Apol. Aug. Confess. cognitio peccati originis; [quæ haberi nequit, nisi definitio ejus constet] neq^z enim potest intelligi magnitudo gratiæ Christi, nisi morbis nostris cognitis. Quanquam verò de genere & differentiâ specificâ, vel

de formal & materiali peccati originis non legantur adeò di-
sputâsie Veteres , rem ipsam tamen , & naturam peccati hu-
jus è Scripturis , & juxta easdem satis explicarunt , quantum
ad doctrinam Ecclesiæ propagandam opus tum fuit . Cum
Cyprianus peccatum originis dixit contagium mortis antiquæ , pri-
mâ nativitate contrahitum , cum Olympius peccatum , quod cum
homine nascitur ob vitum à Protoplasis in germine mortiferâ
transgressione sparsum : cum Ambrosius contagium quo macula-
mur antequam nascimur , ut ante usuram lucis originis ipsius ex-
cipiamus injuriam . Cum Hilarius malitiam per conditionem
communis nobis originis inexistentem , cum Chrysostomus primum
peccatum , quod corpus & animam corruptit , cum Basilius M.
debilitatem ex peccato per insidias serpentis admissa in Ps. XXIX.
cum Arnobius l. i. advers. gent. pronitatem ad culpas & ad libi-
dinis variis appetitus , cum Hieronymus peccatum verè mortife-
rum , quod originaliter de serpente antiquo contraximus , cum Au-
gustinus peccatum primorum hominum , in posteros propagatione
trajectum , unde natura ex origine vitiata est , & malum naturale ,
quod à peccante natura transit & propagatum est , quo corrupta ,
ut habet ad artic. sibi falso imposit. art. i. & mortificata est na-
tura , ut inde omnium concupiscentiarum morbus inoleverit :
nec non l. i. do nupt. & concupisc. c. XXV. affectionem male
qualitatis , sicut langvorem , & c. XXXI. morbidum quendam car-
nis affectum , ut & l. V. contr. Jul. c. 3. concupiscentiam carnis ad-
versus quam concupiscat bonus spiritus , quæq; peccatum est , quia
in est illi inobedientia contra dominium mentis , & quæ hujus ge-
neris alia , imprimis apud Augustinum , passim occurunt ,
peccati originalis naturam explicatam & descriptam esse ec-
quis sanus ambigere potest !

§. XIII. Fallitur itaq; Drejerus in der Erörterung p. 243.
244. cum asserit , peccatum originale ab Augustino definitum nō
esse , nec nisi undecimo demum seculo ab Anshelmo definitionē pec-
cati originalis traditam fuisse . Quæ eò quidem , si mentem ho-
minis respicias , tendunt , ut Anshelmianam descriptionem ,
quod sit carentia justitiae debitæ , solam pro verâ definitione ob-

tru-

trudat: peccatumq; originis meram esse privationem obtineat.
Quanquam verò B. Chemnitius quoq; observarit, ante Augu-
stinum non existare diserte traditam aliquam definitionem peccati
originis, quod & quale sit illud vitium, quod in ipsâ origine
infantes, ante actionem propriæ voluntatis contrahunt, & in
quibus viribus id habitet, unde etiam Pelagius, quæ erat ejus
astutia, clamavit, propter recentes ejusmodi quæstiones tran-
quilitatem Ecclesiarum turbandam non esse, nunquam tamen eâ in-
tentione id fecit B. Chemnitius; imò adduxit quoq; aliquot
descriptions Augustini, noq; dubitavit plenè naturam ejus
ab ipso explicatam esse, aut censuit definitionem ejusdem ge-
nuinam demum ab Anshelmo in lucem protracam, qvum lau-
darit definitionem Augustini, utpote, quæ semper postea in
Ecclesia usurpata fuerit, ut & judicium Bonaventuræ, quod u-
trajq; definitio, & Augustini, qui per concupiscentiam, & Anshel-
mi, qui per privationem, vel carentiam iustitiae originalis id de-
scripsérat, vera sit, & in alterutrâ illarum altera includatur, a-
deoq; ad plenam descriptionem utraq; conjungenda sit. Neq;
enim negavit Augustinus privationem iustitiae originalis, cum in
deterius mutatam dixit naturam. Unde ab Apologiâ A. C. ita
explicatur: Eadem est sententia definitionis, quæ extat apud Au-
gustinum, qui definire solet peccatum originis concupiscentiam es-
se. Significat n. concupiscentiam successisse amissâ iustitiâ, ita & de-
fectum complectitur Augustinus, & vitiosum habitum, qui suc-
ceſſit. Atq; eā ratione explicat Apologia quoq; aliorum de-
scriptions, casque cum definitione Augustanæ Confessionis
conciliat, quod ob mentem Confessionis nostræ intelligen-
dam, & Pap. starum pariter, atq; Novatorum futilem subtili-
tatem retundendam hic observasse proderit: Ideoq; locum
integrum adscribere minimè gravabimur. Nos ig. tur rectè
expressimus utrumq; in descriptione peccati originalis, videlicet
defectus illos non posse Deo credere, non posse DEUM time-
re, ac diligere. Item habere concupiscentiam, quæ carnalia
querit contrâ Verbum Dni, hoc est, querit non solum volupta-
tes corporis, sed etiam sapientiâ, & iustitiam carnalem, & confidit
his

his bonis, contemnens D E U M. Neq; solum veteres, sed etiam recentiores, si qui sunt cordatores, docent, simul ista verè peccatum originis esse, defectus videlicet, quos recensui, & concupiscentiam. Sic enim inquit Thomas: Peccatum originis habet privationem originalis justitiae, & cum hoc inordinatam dispositionem partium animæ, unde nō est privatio pura, sed quidam habitus corruptus. Et Bonaventura: cum queritur quid sit peccatum originale, recte respondeatur, quod sit concupiscentia immoderata. Recte etiam respondeatur, quod sit debitæ justitiae carentia. Et in una istarum responsionum includitur altera. Idem sensit Hugo, cum ait: Originale peccatum esse ignorantiam in mente, & concupiscentiam in carne. Significat enim nos nascentes afferre ignorantem D E I, incredulitatem, diffidentiam, contemptum, odium D E I. Hæc enim complexus est, cum ignorantiam nominat. Et hæ sententiæ consentiunt cum Scripturis. Nam Paulus interdum expressè nominat defectum, ut i. Cor. II. Animalis homo non percipit ea, quæ Spiritus D E I sunt. Alibi concupiscentiam nominat efficacem in membris & parientem malos fructus. Plures locos citare de utraq; parte possemus, sed in remanifesta nihil opus est testimonii. Et facile judicare poterit prudens lector, has non tantum culpas actuales esse, sine metu Dei, & sine fidè esse. Sunt enim durabiles defectus in natura non renovata. Nihil igitur de peccato originis sentimus alienum aut à scripturâ, aut à Catholica Ecclesiâ, sed gravissimas sententias Scripturæ & Patrum, obrutas Sophisticis rixis Theologorum recentium repurgamus, & in lucem restituimus. Nam res ipsa loquitur, recentiores Theologos non animadvertisse, quid voluerint Patres de defectu loquentes. Hæc Apologia, quæ egregiè definitionē nostræ Conf. illustrant, & opinioni de merâ privatione, nervum incidunt.

§. XIV. Contradicit itaque Drejerus *Apologiae*, dum negat ab Augustino traditam definitionem peccati originis, & Soli ipso, quod ajunt, obloquitur, dum quæstionem de formalí peccati hujus ab eo expeditam esse, inficiatur. Qvum n. ex Augustino l. i. de nupt. & concupisc. ad Valer. c. XXV. & XXXI.

XXXI. & I. V. contr. Julian. c. III. & VII. & IX. satis constat: quod id neutquam pro merâ justitiae originalis carentia habuerit, sed pro qualitate affectionali hominis post lapsu ita inhârente, ut difficulter separari posse, & in hac vitâ non separetur, sed maneat etiam post regenerationem, quæ abstrahit, & illicit mente, ejusq; consensu concipit & parit peccata, aut certe mala desideria commovet, ac si tentatione etiam commota non fuerit, inest tamen, ceu mala qualitas (sicut timiditas inest timido, etiam cum non timet) & vitium ex origine vitiat ingenitum homini, & quodam cooperante contagio seu concupiscentiæ affectu propagatum, non secus atq; soboles morbida de morbidis procreatur parentibus, inferens obligationem ac damnationem hominis, & à regno D & I exclusionem, nisi regeneratione solvatur. Quæ plenam descriptionem & explicationem formalis rationis peccati sistere quis dubitet? Hæc v. ipsis Augustini verbis in Harmoniâ Calixtino-Papistica Cap. III. p. 412. productis contexta sunt, quemadmodum collatio edocet.

§. XV. Geminam etiam explicationem è posterioribus Patribus colligi haut difficulter posse, ex iis, quæ anteâ adduximus, patere arbitramur. Quæ proinde, ut ex Apologiâ observavimus, luculentâ descriptione complexa est nostra Confessio: dum peccatum originis dixit verè peccatum, in quo homines omnes post lapsum Adæ secundum naturam propagati nascuntur, sine metu D & I, sine fiduciâ ergâ Deum, & cum concupiscentiâ damnans & afferens nunc quoq; eternam mortem his, qui non renascuntur.

§. XVI. Genus est Peccatum, quod per avocia describitur I. Joh. III. 5. in amaritia est in avocia. Non quod peccatum formaliter NIHIL sit, & non ENS, ut ineptit D. Drejerus, Erörterung p. 208. seqq. conf. pag. 224. cuius φλυαγίας loco citato p. 369. seqq. abundè discussimus, sed quod recessus sit ac defecțio à lege divinâ; quæ privatio est, non negatio. Quid enim? nū pro NIHIL O habebimus violationem regulæ divinae, defecționem à normâ divinitus præscriptâ, lege Dei, exorbitârias, prævaricationes, peccata, iniquitates! Nū pro nihilo habebimus

C

mus



mus impietatem, blasphemiam, inobedientiam, homicidia, adulteria, & id genus alia peccata? Num pro NI H I L O habenda ea, ob quæ ira Dei venit in nos, ob quæ pœnæ temporales, & æternæ infliguntur hominibus? ob quæ condemnationis rei reddimur? Num ob NIHILUM tantopere exardescet ira Dei, tantaq; infliget supplicia! Quiè Patribus peccatum nihil forte dixeré, quod ab Augustino factum, tract. I. in Joh. I. nihil privativum, non negativum intelligunt. Quid est aliud malum, inquit Augustinus Enchirid. ad Laurent. p. XI. nisi privatio boni? Joh. Damascenus l. II. de orth. fid. c. IV. Nihil aliud, inquit, est malum, nisi privatio boni quemadmodum & nebrae luminis carentia. Nec aliter, qui ante Augustinum peccatum in genere descripserunt: Clemens Alex: l. I. Pædag. c. XIII. Quicquid est præter rectam rationem, peccatum est. Author qq. & resp. apud Justin. q. XLVI. Malum nihil est, præter boni perversionem, παρὰ τὴν παρεπέπονθησας, Basilius M. Homiliâ, quod DEUS non sit autormali: Non subsistit, velet animal, iniquitas, neq; ipsius essentiam substantiam subsistentem, οὐαὶ ἐνυπόσατοι statuere possumus. Nam malum boni privatio est.

§. XVII. Utrumq; ergò extreum hīc vitandum: tum Manichæorum, qui peccatum substantiam dixeré, quibus Flaciani peccatum originis ad substantiam hominis referentes, accedunt; tum Novatorum, qui peccatum esse nihil, portento paradoxo adstruunt. Medium tenuere cum Scripturā S. Patres: peccatum neq; substantiam, aut Ens aliquid, sive creatum, sive increatum, neq; planè nihil, sed privationem boni; nec verò privationem essentiæ Subjecti, in quo est, ut iterum ineptit Drejerus, sed affectionem esse, contrariè se habentem ad bonū, uti explicat Basilius homil. II. in Hexamér. Malum non est substantia vivens & animata, sed affectio, in ipsa anima contrariè se habens ad virtutem desidibus accidens, propterea, quod à bono deciderunt. Cui consonat Gregorius Nazianz. orat: XL. in Bapt. crede nullam mali substantiam esse, nec regnum aut principii expers, aut à se subsistens, aut à DEO creatum, sed nostrum opus hoc esse, & pravi illius. Si nostrum opus est, & Diaboli, non er-

ergo mera tantum carentia, vel privatio essentiae, non merum
NIHIL. Nec abnuit Epiphanius h̄er. LXVI. Nullam inesse malo
subsistentiam, nec radicem ullam habere reperimus, sed in solis fa-
ctis consistere. Eatenuis, quatenus facimus aliquid, inest in eo ma-
lum. Cum vero nihil agimus, nusquam est. Neq; in diversum
abit Athanasius, cum Orat. contr. Gent. ex professio naturam
& origine in peccati exequitur: Siquidem non tantum primos
parentes à Divinitatis contemplatione aversos fuisse, sed in sui
cupidinem & ēm̄dūpiā etiam irruisse, nec irruisse tantum, sed
animam suam voluptatibus corporalibus turbidam jam & arden-
tem omni concupiscentia obruisse, docet; ut non oblii ipsi tantū
prorsus sint virium suarum, quas ab initio à D E O acceperant, aut
exuti saltim rerum divinarum contemplatione, sed in concupiscentiis
corporeis delapsi animum suum ad contraria transtulerint, &
in alias atq; alias cupiditates precipites iverint, ac deniq; frequēti
usurpatione veritarum cupiditatum in habitum tandem occallue-
rint. Nec deniq; discrepat Augustinus, quem ex ignorantia
quæstionis, quid sit malum, Manichæum factum, non prius à
Manichæismo conversum somniat Drejerus, quam cum didi-
cisset, peccatum NIHIL esse, Erörterung; p. 244. Audiamus
ipsum Hipponeum Præsulem. Quæ mala, inquit l. I. contrà
Julian. c. III. licet intelligamus non esse naturas, sed vitia natu-
rarum, tamen simul intelligimus ea, nisi EX ALIQUIBUS,
& IN ALIQUIBUS naturis esse non posse. Si non potest ma-
lum esse, nisi ex aliquibus, & in aliquibus naturis, utiq; non
erit merè NIHIL aut carentia essentiæ. Ideò statum contro-
versiæ Catholicorum adversus Manichæos, quod probè ob-
servandum, hunc fixit Augustinus l. II. contr. Manich. c. V II.
Certe omnis inter nos discretio est, quod vos substantiam quandam
malam esse dicitis, nos vero non substantiam, sed inclinationem ab
eo, quod magis est ad id, quod minus est, malum esse dicimus. Plu-
ra in hanc sententiam qui desiderat, Harmoniam Calixtino-
Hereticam Sect. II. c. III. §. X. seqq. adire poterit: inveniet, con-
fido, quod desiderio suo satisfaciat.

§. XIX. Num v. morbus, quem vocant, vel vitium origi-

nis vere, aut veri nominis peccatum sit? quemadmodum olim
ob Pelagianos, Armenios, ut & ob Scholasticos, tempore exhi-
bitæ confessionis, nec non ob atatis istius Pontificios, & Zvin-
gium, cum complicibus ita hodiè ob Socinianos, Arminianos,
& ex parte quoq; ob Novatores, in disceptationem venit; Si-
quidē & hi verum peccatū esse, quicquid verbis prætexāt negēt,
dum hypotheses quasdam suas sustinent: utpote quod natu-
ralia post lapsum manserint integra; quod concupiscentia & pro-
pensio ad peccandum ante lapsum in homine locum habuerit, qvod-
que naturalis sit rebellio appetitus sensitivi adversus rationalem
etiam ante & extrā lapsum, nec pro peccato habita fuisset. si Deo
placuisset, conditum hominem in statu merè naturali relin-
quere; quod anima, quæ πρῶτον δειπνὰ est peccati originalis,
non propagetur, per generationem, sed immediate creetur à Deo;
& quod præcipuum est, quod peccatum originis, phrasi Eccle-
siasticâ, dicatur labes illæ, vel conditic, atq; malum naturali ge-
neratione adhærescens, quod nascimur exclusi ab eternâ beatitu-
dine, & obnoxii eternæ damnationi, ut habet Calixtus Exercit.
de peccat. origin. th. V. & VI. Si n. hæc conditio est ipsum
peccatum originis, reatus pœna tantum, non culpa, vel peccatū
veri nominis peccatum originis erit. Qui error fuit Scho-
lasticorum veterum Scoti, Bielis, Durandi, Alexandri Alen-
sis, nec non Pontificiorum quorundam, Cardinalis Piggii,
& Ambrosii Catharini, Fabri Stapulensis, Ruardi Tapperi:
ut & Arminianorum, teste Apologia fol. 54. Quem verò pro-
fligant disertissima Scripturæ oracula, quæ vitium originis
peccatum & iniquitatem congenitam esse Ps. LI. 6. & immunditi-
am Job. XIV. 4. ejusque ratione infantes quoque recens natos
carnales esse, Job. III. 5. ac sub peccato conclusos Rom. XI. 32. Gal.
III. 22. et si non ad similitudinem peccati Adami peccarint, Rom.
V. 15. sonorâ voce testatur: unde in Pelagio jam olim illa opinio,
quod vitium originis peccatum non sit, damnata: in Concilio
imprimis Milevitano anath. II. & in Arnsicanu II. anath. II.
Quam etiam Tridentinum Papisticum Concilium reprobavit,
Seß. V. anath. II. IV. & V. tametsi in eundem Pelagianismi laby-
rin-

rinthum sese Papistæ præcipitent, qui peccatum originis per se mereri æternam mortem, cum Contareno, Bellarmino, Costero negant; quiq; ad peccatum propriè dictum τὸ ἀνάτον, quod in originali peccato dari nequit, requiruut. Et qvum concupiscentia, ante Baptismum, secundum se considerata eadem sit cum concupiscentia, quæ post baptismum in renatis romanet, fatente Jesuitâ Hagero Collatione A. C. cum Concil. Trid. art. 2. quæ ipsum originale peccatum est, quomodo peccatum originis propriè dictum esse peccatum, sincerè credere possunt, qui concupiscentiam in renatis appellari quidem ab Apostolo peccatum, sed verè & propriè peccatum non esse, ut sub anathemate definivit Concilium Tridentinum sess. V. anath. V., adserunt. Quâ in re observanda Paterculorum Tridentinorum cauteriata, & auctorataneū conscientia, siquidem fateri cogantur, concupiscentiam ab Apostolo vocari peccatum, res n. è Rom. VI. VII. & IX. ut & Col. III. (quæ loca anathemati V. ad marginem adscripta sunt) nimis clara est; ac inficietur tamen, eam verè & propriè peccatum esse: quod quid aliud est, quām adversus Apostolum in re abstrusissimā, nec nisi è S. litteris constante, pronunciare, & id negare, quod ille ex instinctu S.S. affirmat, imò quod non affirmat tantum simpliciter, sed quod probat quoq; invicè, ac luculentè, dum concupiscentiam, inquit, Rom. VII. non novissem esse peccatum nisi lex dixisset, non concupiscas. Quicquid n. lex prohibet, id verè, proprièque peccatum esse nemo ambigit, qui à Augustinu nihil aliud esse, quām à vocatione I. Joh. III, 3. novit.

§. XXI. Quanquam verò Augustinus alicubi vitium originis peccatum esse inficietur, explicat tamen sese l. I. retract. c. XV. se illud præcipue peccatum intelligere, quod justa damnatio subsequitur. vel peccatum tantum negare, quatenus non punitur, hoc est, ratione demissi reatus. Ambiguè ergò peccati vocatur: aliquando pro reatu, quem formale respectivum peccati dicunt: Aliquando pro culpa & à vocatione, quæ formale absolute est peccati. Hujus respectu peccatum esse, non inficiatur, imò disertè l. V. contr. Julian. c. III. peccatum est, inquit de vi-

tio originis, quia inest illi inobedientia contrà dominatum mentis.
Istius a. ratione peccatum esse negat: siquidem reatus tollatur
per baptismum. Ideò l. VI. contr. Julian. c. V. eum, qui ba-
ptizatur, omni reatu omnium malorum carere, ait, non omnibus
malis. Et l. I. de nupt. & concupisc. c. XXV. dimitti concupi-
scientiam carnis in baptismo, non ut non sit, sed ut peccatum non im-
putetur. Quæ sententia autoritate etiam Pontificali in jure
Canonico comprobata fuit: cum c. 2. dist. IV. de consecr. ex
Augustino l. I. de peccat. merit. & remiss. c. 39. docetur, in
Baptismo concupiscentiam extingui, non ut non sit, sed ut non ob-
sit. Nec defuere in ipso Tridentino Concilio, qui huic or-
thodoxiæ faverent. Antonius certè Mariana Carmelita pa-
lam asseruit, concupiscentiam eandem esse ante & post baptismū,
& ex se peccatum esse, attestante D. Paulo, eam etiam in renatis
pugnare cum lege D & I, cui quicquid repugnat, necesse sit, pecca-
tum esse. Sed neq; evibrato jam Tridentino fulmine coérce-
ri potuit veritas, quin vel per ipsos Jesuitas Tridentini Con-
cilii propugnatores acerrimos proruimperet. Testis est Thomas
Henrici Jesuita Friburgensis, qui Anatomiâ Aug. Confess. artic.
II. c. III. p. 43. fateri coactus est, fomitem concupiscentiæ pecca-
tum dici non tantum, quod è peccato nascatur, & ad peccata actu-
lia instiget, (ut à Tridentinis definitum) sed etiam, quia est in-
ordinata dispositio ad rebellionem partium inferiorum animæ contrà
superiores. Quid verò est peccatum propriè dictum, si talis
ataxia & avopia peccatum non sit!

s. XXII. Ut verò in defectu circà genus peccati originalis
peccant cum Novatores, qui peccatum Nihil esse dicunt, vel
per reatum tantum originis peccatum definiunt, tum Schola-
stici, & qui cum ipsis id propriè peccatum esse infiantur; ita
in excessu peccatur ab illis, qui peccatum originis ad prædicamen-
tum substantiæ reducunt: Quod olim a Manichæis, supe-
riori verò seculo à Flacianis factum. Manichæi enim à Persâ
quodam, qui Manes vocabatur ita dicti, peccatorum originem
ut Augustin. habet de hæres. c. XLVI. non libero voluntatis ar-
bitrio tribuerunt, sed substantiæ gentis adversæ, quā hominibus
mixtam

mixtam dicebant, omnem carnem non DEI, sed malæ mentis
D&O coeteræ opificium facientes: adeoq; concupiscentiam car-
nalem, quæ caro concupiscit adversus Spiritum, non ex vitiata in-
primo homine naturâ nobis inesse infirmitatem, sed substantiam
contrariam esse adserebant, sic adhærentem nobis, ut quando libe-
ramur, atq; purgamur, separetur à nobis, & in suâ naturâ etiam i-
psa immortaliter vivat. Ad cujus portenti confinia Flaciani
accesserunt hactenus, quod peccatum originis etiam substi-
tiam fecerint, non quidem à coeterno aliquo principio, malo
Deo, sed à Diabolo profectam: non separandam ab homine,
ita ut separatio existat, quod Manichæi volebant, in globo
aliquo tanquam in carcere sempiterno eam mansuram somni-
antes, sed quæ ad hominis corruptam essentiam, naturam & sub-
stantiam, corruptâ nempe per lapsum totaliter Adæ humanaâ es-
sentia pertineat, adeò ut præcipua & præstantissima pars essentiæ
ipsius, anima in summo suo gradu, aut præcipuis potentius ipsum o-
riginale peccatum sit, quemadmodum errorem istum refert
Formula Concordiae, uberiori declaratione artic. I.

§. XXIII. Occasionem præbuit errori disputatio Matthiæ
Flacii, viri alias summi, & de Ecclesiâ Christi, cum in aliis stu-
diis Critices sacræ, Historicis, & Exegeticis, tum in Polemi-
cis quoq; , imprimis adversus Papistas, Interimistas, & Sacra-
mentarios egregiè meriti, cum Victorino Strigelio Synergistâ,
Vinariæ Anno Dn. c. 1561. habita. Qvum enim hic affere-
ret, peccatum originis leve quoddam accidens esse, instar alii ma-
gneti illiti, per quod non tota substantia corrupta, sed tantum levi-
ter in accidentibus vulnerata esset; Flacius Illyricus, atrocitatē
peccati originalis exaggeraturus, plantorum more, qui recē-
tis plantæ correcturi aversionem, ita immoderatè illam retorquent,
ut à medio aberrent, & ad contrarium latus ramulum abducant,
quo simili Basilius M. Epist. ad Maxim. Philosoph. XLI. in-
casu non absimili utitur, ad alterum extremum declinavit, ut
peccatum originale non accidens, sed ipsam substantiam homi-
nis post lapsum esse, contenderet. Urgebatur definitio acci-
dantis, quod salvâ rei substantiâ ab ipsâ separari queat, quâ qvâ
actu-

actum sese expedire non posset Flacius, neq; differentia acci-
dentis prædicabilis atq; prædicamentalis, ilicò menti in dispu-
tationis æstu occurreret, siquidem non omne, quod non præ-
dicatur de re aliquâ per modum accidentis, ilicò sit substantia,
vel in prædicamento substantiae, atq; è classe accidentium præ-
dicamentium exigi debeat: factum est vehementiori con-
tradictione, ut non tantum adversario haud concederet, peccatum
originis accidens esse prædicabile, vel negaret, de homine
corrupto, quâ tali per modum accidentis prædicari peccatum,
quod ad ἐλεγχον erroris Strigeliani satis fuisse, sed assereret
quoq;, peccatum originis substantiam esse, non distingvens τὸ
esse de essentiâ hominis corrupti, vel peccatoris, quâ talis, quod
de peccato absq; errore dici poterat, & τὸ Εσση substantiam, qvod
ad Manichaorum errorem declinabat. Quanquam verò, ut
apparet, tum adhuc fortè Flacio de peccato originis sanior
fuerit mens ac sententia, nec id ab ipso intenderetur,
quod nonnullis intendi videbatur, ut eo, quem diximus,
modo in veritatis viam fortassis reduci potuerit; pecca-
tum originale dici quidem posse ad hominis peccato corrupti es-
sentiam pertinere, nequaquam tamen substantiam statui pos-
se; fervore tamen disputationis, quemadmodum fieri amat,
qvum nonnulli hoc posterius σπορόμως ab ipso contendi, ne-
glectâ, de homine peccatore, quatenus peccator est, ἀνειλέσθαι
logicâ, persvasi acerbè propositioni Flacianæ sese opponeret,
eō deniq; abreptus est Illyricus, ut non tantum phrasin *absur-
dam*, & *analogiæ fidei contrariam* tueretur, sed *erroneæ quoq;*
sententiae sese implicaret. Quanquam graviores penes ipsius se-
ctatores nonnullos, homines minus eruditos, multùm im-
portunos, inde enatos esse errores non diffiteamur; neq; de
eo contendere velimus, annè fortè irritatus nimium fuerit Il-
lyricus, qvum per αμετριανήν αὐθολην à D. Heshusio Epistolâ
ad Flacium scriptâ divulgatâ, in Andidoro item, defensione ve-
ræ & piæ sententiae Augustini, Warhaftigen Regen-Bericht auff
das furke bekämpftnis Flacij, Gründlichen beweisung / aliisque
scriptis adversariorum quorundam nonnulla sibi tribui cre-
deret,

deret, menti suæ minimè consentanea; unde protestabatur se-
se nunquam docuisse, Diabolum creatorem esse ullius Creaturæ,
quem hæreticum errorem sese semper toto corde damnasse, ait, de-
fensione sanæ doctrinæ fol. 137. in *Nosce te ipsum* fol. 205. Im fü-
rken Bekändnüs wieder die falsche aufflagen: Item: calumniam ef-
fè, quod doceat, Sathanam formare in utero matris, & creare
novas animas, im Christlichem Bekändnüs Ann. 1571. Item in
appendice Matthæ Flacii Ann. 1571. ad M. Cyriaci Spangen-
berg scriptum Kurken Bericht: pars sunt quædam facunda, & in-
verecunda sophismatum monstra (tangit commonefactionem Dn.
D. Vigandi de monstris novis & facundis, Ann. 1571. Jenæ edita)
que ex meis scriptis nunquam deducentur: nunquam ego simpli-
citer, ac in genere afferui, peccatum esse substantiam; nunquam
dixi, priorem hominis substantiam esse prorsus abolitam, & plane
novam conditam. nunquam simpliciter dixi, peccatum originis es-
se totum hominem, aut corpus & animam; sed semper accurate cir-
cumscripti, & explicavi, quid & quatenus vocem originale pecca-
tum.

§. XXIV. Distinxit sanè Flacius frequentè inter homi-
nem consideratum Philosophicè, secundum animam & corpus,
& Theologicè, secundum diversum statum, quo pacto etiam
respons. ad Epist. Jac. Andr. scripsit: Cum ego plerumq; dicam
ipsam pravam imaginem aut formam animæ rationalis, seu servū
arbitrium esse originale peccatum clavis part. 2. q. 482. & interdu-
etiam dicam cor seu mentem corruptam Theologicè consideratum,
ipse cum Nicodemo fugit me affirmare ipsum cor, idq; simpliciter
& physicè consideratum, quatenus est caro quædam, esse originale
peccatum. Et im Bekändnüs G. 2. distinxit inter hominis substâ-
tiā philosophicè consideratam, quæ animam & corpus, & omnes vi-
res, & prout in Scripturâ docetur, das dreyerley Menschen sein /
denn erstlich ist der Vollkommene Mensch/der ein Bild Gottes ge-
wesen/der ander vom Teuffel ermordete vnd verwandelte / so man
den alten Adam nennt / Und der dritte der Neue vnd Geistliche
Mensch: Cæterum distinguendum hic potius erat inter sub-
stantiam hominis, prout etiam in Theologiâ spectatur, & inter

D

statum

statum ejusdem diversum. Theologia nō non facit aliam hominis substantiam, sed sub diverso statu hominem sifit. Quod si omnino hominem Theologicum à Physico distingvere libuisset, minime tamen substantiā illi discriminandi erant, sed qvum eadem sit hominis in Theologiā, & Philosophiā substantia, ac species, qualitatibus tantum, accidentibus, ac statu: ita non incidisset in illud paradoxon, quod in Colloquio Mansfeldensi Ann. 1572. apud VVigandum de Manichæisno renovato p. 484. ebuccinavit: *In naturalibus tām est Cain homo, quam ē Abel, sed in Theologia sunt diverse species.* Ibi n. est unus DEI Filius, alter non; quodq; passim asseruit: *Christum assumisse carnem alterius speciei, quam HUMANÆ;* Et aliorum consimilium: quale Ex. gr. illud est: *Diaboli item specie ipsa differunt ab Angelis lucis.* Item: *Diaboli secundum Theologiam nova SPECIES dici queant, totāq; specie aut genere differentes à S. Angelis, in Demonstat. ut & orthodox. Confess. nec non part. 2. Clavis &c.* quā certe nullatenus excusari possunt: *Quicquid sit de malagmate, quod in Colloquio p. 483. adhibuit, in physicā quidem sumus ejusdem speciei cum Christo, sed in Theologia, ubi sumus alia essentialis imago, Christus nobis non est similis, quod ē diametro adversatur Scripturæ, Christum nobis per omnia simile asserenti, sed absq; peccato Ebr. IV. 15.* Item: *fateor quidem, Christum esse nostræ speciei, sed non juxta veterem Adamum, cor lapideum, carnem concupiscentem &c.* Quā hæ distinctiunculæ? Nam species & genus termini sunt Philosophici, nec in Theologia aliter accipi debent, quam ut docet Philosophia: neque verò tradit scriptura uspiam hominem regenitum, vel etiam Christum, quantum ad essentiam humanam (quod ad speciei diversitatem omnino requiritur) differre ab homine non regenito: aut angelum bonum, quantum ad essentiam angelicam à Diabolo: Ideò meritò taxat Dn. D. Wigandus l. c. p. 356. ludum illum in voce speciei, qvum notum sit, quid dicatur species, cum de diversis speciebus animalium (aut aliariū substantiarum) agitur.

§. XXV. Nec ignotum est, quod distinxerit Flacius inter

ter animam & cor ipsum in se, & animam ratione corruptionis spe-
ctata n: Befändniß R. 2. Ich habe schier tausendmahl mich er-
flaret / daß ich nicht rede schlecht in gemein von dem ganzen vnd
Natürlichen Wesen der Seelen/ sondern nur von ihrem edelsten
Grad/ oder Theil/vnd mir so fern sie in demselbigen verkehret / vnd
verderbet ist / nempe ratione istius novæ tristissimæ formæ, aut lar-
væ satanæ: unde testatur ibidem, quod ad monitum D. Simo-
nis Musæi sententiam suam ita explicuerit Clave p. 2. p. 482.
Hanc igitur inversam substantiam formalem, aut formam substanti-
alem summi gradus, quæ jam eum, ut causa formalis, facit imaginem
& filium Diaboli, & dat ei illud horrendum ESSÈ veteris Adami,
statuo esse verum, & quasi unicum fontem omnis actualis peccati, &
id ipsum, quod vocamus originale peccatum. Quæ videntur sen-
sum satis commodum fortiri posse, si forma intelligatur, & ESSÈ
Veteris Adami, vel animæ etiam, quæ corrupta est, & larva Sata-
næ: quanquam Dn. D. Jacobus Andreæ in Colloquio Argento-
rati cum Flacio Anno 1571. habito p. 49. accurate monuerit,
rectius appellari pessimam deformitatem, quam formam pessimam,
quia est pulcherrimæ formæ hominis ad imaginem DEI conditi horri-
bilis deformatio; si vero omnino sic libeat appellare, dicendum
esse: quod peccatum originis & vetus homo sint pessimæ forma ho-
minis peccatoris, quatenus peccator, non quatenus homo. Sed ad-
mittere noluit Flacius ejusmodi conciliationem, quæ diluci-
dè satis proposita fuit ceu compendium ad concordiam, E-
pistolæq; D. Jacobi Andreæ Ann. 1574. adjuncta atq; ita ha-
bebat: *Justus homo constituitur ex corpore, animâ, & justitiâ; ide-*
oq; justitia est de essentiâ hominis justi, quoniam sine justitiâ non
potest esse homo justus, sicut sine animâ non potest esse rationalis: sic
homo injustus seu peccator constat ex animâ & corpore, & peccato:
ideoq; peccatum de essentia hominis peccatoris est, pars ejus
essentialis. Cum autem nullus unquam homo fuerit, medius inter
hominem justum & injustum, qui negat justus esset, negat injustus, i-
deò tu semper disputas de optimâ & præstantissimâ essentiali parte
hominis abolitâ, qui ad imaginem DEI creatus fuit. Non enim fu-
it justitia originalis ornamentum tantum hominis, quo amissio, ipse ta-

men perfectus fuisset : sed fuit de essentiâ justi hominis , quo amissio , verè rudera reliqua manserunt tantum , si perfectionem illam spectemus , in quâ primus homo conditus fuit . Et hâc in sententia , non alia , Lutherus , Wigandus aliquique recte scripserunt ; justitiâ originalem fuisse de essentiâ primi hominis , quia non sine justitiâ , sed in ipsâ , & cum ipsâ justitiâ conditus fuit . Quod autem urgetur , hanc justitiam originalem , respectu hominis , quatenus homo , esse Accidens , id necessariò fit : Primum , ad ostendendum discrimen inter creatorem & creaturam . Nam DEUS ideo immutabilis est , quia in DEUM non cadit accidens , sed justitia & virtutes omnes sunt in DEO essentiales ; Homo autem mutabilis est , quia justitia & virtutes omnes in homine sunt accidentia , quæ permanente substantia hominis , possunt in contraria vicia permutari . Deinde ne DEUS constituatur autor vel creator peccati , qui est creator omnium substantiarum : omnium , inquam , quia sine ipso factum est nihil , quod factum est . Sed nullius , nullius , inquam , peccati creator vel autor est DEUS . Ideo peccatum non potest esse substantia , sive originale , sive actuale . Ecce mihi Illyrice , iterum habes pacem & concordiam in manu positam , quâ Ecclesiam DEI maximo offendiculo liberare potes , si videlicet consideraveris , quod unum & idem , diverso tamen respectu , verè dici possit essentia & accidens , sive de originali peccato , sive de originali justitiâ loquaris . Accidens , quia inest substantiae mutabili . Essentia , quatenus consideratur homo peccator , ratione viti , quia peccatum in homine non est simpliciter nihil , sed horribilis substantia à DEO creat & corruptio , de quâ supra dictum est . Hæc si tibi non satisfaciunt , nescio sanè , quid pro veritate ad pacem amplius vel dici , vel scribi possit . Haec tenus D. Jacobus Andreæ . Quo ferè pâco etiam Nicolaus Ambsdorffius ad Basiliū Monerūm scripsit , justitiam originalem substantiam esse hominis justi , peccatum originale substantiam vel essentiam esse hominis corrupti . Non placuit a. Illyrico D. Andreæ conciliatio : Quia nolebat accidens , aut accidentalem hominis formam dici sive justitiam ante lapsum , sive peccatum originale hominis post lapsum ; sed formam substantialem , formam hominis inversam , in modo substantiam ; ideo in-

con-

conclusione scripti, quo controversiam istam sedulò & prolixè examinavit, quam ipse vocat, *dijudicationem*, postquam in utramq; partem propositiones pugnantes, quarum una peccatum originis substantiam, altera illud *accidens* esse affirmat, disputavit, & quam approbet atq; amplecti velit, sine hæsitatione & cunctatione profiteri voluit; Dico igitur, inquit, & cōstantē profiteor, me eā approbare, quæ peccatū originis substantiā esse affirmat, nō peculiarem quandam in Utopiā circumvolitantem, sed ipsam sustantialem formam corruptæ rationis humanae.

§. XXVI. Huc facit, quod distingvit in Clave part. 2. Col. 634. substantiā materialem, & formalem, quod nempe vilior materia, aut massa hominis initio condita utcung; remanserit, tametsi valdè vitiata, sicut si in vino aut aromatibus, expirante aërea & ignea substantiā, remaneret tantum terrena & aqua, (ubi Substantiā quandam expirare certum est: sed quæna illa hominis est substantia, quæ per lapsum expiravit?) Forma tamen substantialis, aut substantia formalis deperierit, imo & in contrariam mutata sit, (Exempla hæc sunt disparia: Num erit forma substantialis, anima intelligens, sicut cum vinum in vappam convertitur, substantia vini, exhalavit, velexpiravit penitus, aut mutata in alium Spiritum, aliamque essentiam?) explicare tamen se conatur: Loquor a. non de ista externā formā, ut quod homo constet corpore & anima &c. Sed loquor, de eā nobilissimā substanciali formā, ad quam præcipue ipsum cor, aut potius anima rationalis formata erat, ita ut IPSA SUA ESSENTIA esset Dei Imago, c. amq; repræsentaret, utq; suæ substanciales potentiae intellectus ac voluntas, affectusq; ad DEI proprietas essent conformatae. Sed hic apertius est error, in eo consistens, quod hominem IPSA suā essentiā esse DEI imaginem, censeat: siquidem imago in Sapientiā, justitiā & sanctitate sita fuerit, teste Apostolo Col. III. 9. Eph. IV. 22. Sapientia verò, justitia & sanctitas Deo quidem essentialis, homini a. minimè essentialis, nedum substantia sit, sed accidens. Solus Filius Dei est substancialis imago DEI Patris. Col. I. 15. Ebr. I. 3. Repræsentabant quidem potentiae animæ Intellectus & voluntas Dei imaginem, sed non essentiā suā, alias

etiam post lapsum referrent eandem, quia intellectus & voluntatis essentia non est annihilata, ac destruta, sed intellectus quidem concreata sapientia, voluntas v. justitia & sanctitate verâ eidem per creationem inditâ privata, essentiam tamen retinent suam. Ideò D. Caspar Melissander et si non nihil in sententiam Flacii, qua peccatum originale non simpliciter substantiam esse, sed hominis lapsi corruptam substantiam afferebat, se propendisse haud negaret, ea adducta interpretatione, quod substantia hominis corrupta eatenus rectè dicatur peccatum originale, quatenus ea corrupta est, sive ratione sue corruptionis, (non verò quatenus ea substantia est) faslus tamen est, scopo & cardine disputationis rectius observato, Illyricum planè contendere, peccatum omnino esse aliquid substantial, sive essentiale, & quidem ipsam animæ rationalis formam essentialē, quatenus ea in summo suo gradu, & respectu summi objecti consideratur, esse peccatum originale, quo de legi potest confessio ejus de præfenti certamine Anno 1572. Jenæ publicè recitata.

§.XXVII. Porro videri etiam voluit Flacius insistere phrasim Scripturæ, quâ illa verbis utitur substantialibus in descriptione tum imaginis DEI, aut justitiae originalis, tum peccati, & imaginis Sathanæ: siquidem Deus dicatur creasse hominem ad imaginem DEI, ipsam totam ejus essentiam, præsertim animam rationalē, non sola ejus accidentia afferatq; Scriptura, hominem in primo lapsu mortuum esse & Sathanam esse ejus homicidam, cum eū ex imagine DEI in suam imaginem transformarit: ac vicissim jubeat, occidere aut mortificare veterem hominem, eumq; exuere, depolare, sepelire: Deniq; contra etiam velit nos iterum condi, generari, esse novam creaturam &c. Urget etiam Illyricus, quod Scriptura illam inherentem malitiam dicat figmentum cordis humani, cor incircumcisum, non intelligens, cor lapideum, adamantineum, & perversum, quicquid ex carne natum est, thesaurum pessimi cordis, ipsam malam arborem, vanam mentem, hominem animalem, ipsū veterem hominem. part. 2. Clav. fol. 653. Verum enim verò si rectè expendatur mens Flacii, neutquam insistit ipse Scripturæ sententia. Verbis Scripturæ quandoq; utitur, at sensu heterodo-

rodoxo: novas quoq; phrases invehens, nec phrases solum novas, sed alienas quoq; à Scripturis sententias. Ad imaginem quidem Dei homo totus dicitur conditus, non tamen ipsa essentia hominis fuit imago Dei, prout imaginem Scriptura describit. Deus creavit hominem valde bonum non tantum in accidentibus, sed etiam in ipsa substantia: sed distinguenda bonitas transcendentalis, quæ essentialis est à bonitate illa spirituali, in quâ imago Dei sita erat: quæ non erat ipsa hominis essentia, et si essentia intime indita, atq; insita fuerit: non ipsa natura hominis, et si bonum & donum fuerit connaturale, & concreatum. Non ergo probari potest, quod in triplici consensu Anno 1574. contendit Flaci⁹, duas formas diversissimas, easq; essentialiales hominis in Scripturā afferi, cū sc. imago Dei, & imago corrupti hominis Gen. I. & V. designatur, quodq; ex morte hominis, quam Deus ei minatur erat, Gen. II. ipsam formam hominis optimam in pessimam transformationem, uti cum occiditur vivum animal, concludit, ac non tantum corpus essentialissime transformatum ex immortali natura immortalem, morbidam & caducam, quæ toto genere differat à priori incorruptibili & immortali corpore, (quo pacto dicendum fuerit corpus spirituale, quod ad alteram vitam resurget, non idem numerototum cum nostro corpore, quod hic passionibus & morti obnoxium est, sed toto genere diversum, quia immortale & incorruptibile erit) sed etiam anima multo tristiorē pœnam transformationis passa sit, qvum propria differentia hominis sit (verba ipsa Illyrici recito) ut sit animal rationale, aut intelligens, & tota Scriptura testetur, hominem esse animal non intelligens. Istam tantam degenerationem hominis in pecuinam natum, quam vocat, declarat exemplo Nebucadnezaris, quod crasso illo exemplo Deus omnibus ruinam & mutationem cognoscendam proposuerit, urgens peculiariter, quod disertè dicatur; auferetur ei cor hominis, & dabitur ei cor bruti, & quod rursus ei sit ratio restituta. Sed nimis crassa est Theologia de hominis metamorphosi, & transformatione, vi cuius non amplius relinquitur homo animal rationale; quemadmodum etiam nimis crassè illa similia hic urgentur Jer. XIX. de olla primū à figula optimè formatā,

postea

postea mox fracta, tertio rursus in novam ollam reformatam, quasi manifestissime ibi duplex essentialis transformatio indicetur, prior ex optimâ in pessimam per interfectionem Satanae, posterior contrâ ex pessimâ in optimam per vivificationem, & novam creationem; nimis crassa est interpretatio, dum essentialem transformationem è comparatione ruinæ hominis cum degeneratione optimæ arboris, aut vitis optimi generis in pessimam, auri aut argenti in scoriam, dulcis massæ fermentum probare satagit. Extenduntur illæ comparationes ultrà scopum Spiritus Sancti, qui substantialē hominis μεταμόρφωσιν nuspiā adstruit, sive lapsū, sive regenerationem hominis describat: neq; creationem novæ substantiæ, aut hominis, quantum ad essentiam novi, designat: nisi dicere velimus, hominē, quoties gratia S.S. per peccata cōtra conscientiā excidit, in aliā novā essentiā substancialiter diversā transformari; quoties paenitentiā agit, iterū de novo in aliā substancialiā essentiale transformati idq; multò magis fieri in resurrectione beatâ: unde relinquetur novissimè, nō esse eundē numero, & substancialiā hominē, sed substancialiter diversum, qui resurgit, & qui hic obnoxius est calamitatibus, pravæq; concupiscentiæ, & quæ hujusmodi plura παράδοξα παρεδοξώτα redundant.

§. XXVIII. Cæterum qvum Scriptura verbis substantialibus utitur, non nudum peccatum designat, sed subjectum simul involvit, hominem peccatorem & cor hominis, hominem veterem, animalem, cor adamantinum, lapideum, perverse cor, seu figuratum cogitationum cordis: ac distingvit peccatum ab ipsa hominis, & cordis humani substancialiâ. Tum verò probè etiam discernendæ sunt metaphoricæ loquutiones Scripturæ à propriis, ne talis confusio invehatur, nec à generatione physica ad hyperphysicam, spiritualem generationem concludendum. Jubet excindere cor lapideum, non physicè, sed spiritualiter, eodem manente subjecto, ut abjiciatur malitia: regenerari & renovari, non ut aboleatur substanciali & nova accipiatur essentia, sed ut facultate credendi, novisq; viribus instruamur spiritualibus.

§. XXIX. Non improbanda fortè intentio, quæ initio Flacio proposita fuit, exaggerare nempe naturam peccati originalis,

ginalis, & gratiam Dei adversus Scholasticos & Synergistas;
qui naturalia post lapsum mansisse integra, peccatum esse accidens
leviculū allitum homini asseruere: quemadmodū censebat Acci-
dentarios, quos vocat, (qui peccatum non substantiam esse,
sed accidens adferebant) ipsissimum sententiarum Pelagianum
accidens, à Lutherō validissime explosum restituere, ideoq; urge-
bat, part.2. Clav.p.657. obtineant sanè isti Censores apud Syner-
gistas, ne vaciferentur, peccatum originale eße tantum accidens,
tum & nos parcus minusq; necessario hoc contrarium (quod sit
substantia) urgebimus. Sed non indiget veritatis propugna-
tio falsitatis subsidio, Eccl.XXXIV.8. neq; rectè sese habet illa
oppositio: non est accidens separabile, leviculum, naturam non-
corrūpens, prædicabile: Ergo est Substantia. Naturalia sanè in-
tegra mansisse, Scholasticis minimè concedendum: ideoq; ad-
versus ipsos rectè asseritur justitiam originalem primo homini fu-
isse connaturalem, eoq; sensu Lutherus contrà Pontificios ean-
dē quiddam extrà hominis naturam docentes, imaginem
Dei in homine fuisse connaturalem, & de naturâ, de essentiâ afse-
ruit: nō quod substantia fuerit quædam, sed quod ad intrinsecā
perfectionem naturæ hominis ante lapsum pertinuerit, intime-
qué naturæ insita fuerit, nec absque ejus gravissimo detrimē-
to amitti potuerit. Nequaquam a. imago Dei substantialis
hominī adscribenda, qvum solus Filius Dei sit substantialis
Dei imago: quemadmodum nec peccatum ideo substantia ipsa
est hominis, quod naturalia non manserint integra, sed ejus po-
tius profunda corruptio, & horrenda depravatio. Exagge-
randum ita est peccatum originis, ut tamen non confundatur
cum ipsâ substantiâ hominis, ne Deus autor substantiæ homi-
nis peccati causa constituatur. Protestatur quidem Flacius,
in Clav.p.2.p.698. remanere adhuc aliquid in homine creatum a
Deo, quod propriè ac per se bonum est, ac peccatum dici nequit; si-
cūt & in Diabolis adhuc aliqua præstans Dei creatura superest:
asserit tamen, illud ipsum esse tantum veluti illam ignobiliorē mā-
teriam ac veluti lutum de testâ, interim nihilominus illam nobilissi-
mam formam substantialem, in quam homo fuit initio exædifica-

E

tus,

tus, & quā fuit propriissimè conformis imago Dei, totam inversam
esse, in fædissimam statuam, aut larvam serpentis infernalis: Et
in triplici consensu d. i. esse quidem creaturam Dei, sed esse quoq;
simul destructuram latronis Sathanæ, qui eum ex spiritualiter vi-
vo, Deoq; simili homine, & optimâ arbore horribiliter trucidando
& transformando, non sine illo Dei fulmine maledictionis, morte
morieris, prorsus invertit in horrendum cadaver, pessimam arborem,
labruscam, scoriam, vitam Sodomæ, & venenatissimum fermentum
Deo angelisq; abominabiliter fætens & displicens. Cæterum ex-
orbitat hic quoq; à veritatis regula, quandoq; videm loco po-
steriori actutum hæc subjiciat: Quapropter qui afferit hominem
istum carnalem seu animalem Adamicunq; nunc P E R S E,
& ratione suæ præsentis Essentiæ verè bonam & legitime conformem
creaturam Dei esse (quod Accidentarii etiam de Satanæ substanci-
tiâ audacissimè adserunt) ille profecto tūm Deo viventi in os con-
tradicit & reclamat, tum etiam ipsa beneficia Christi sacrilegè abo-
let. Qui ita! Quid enim attinet eum, qui jam est optima Dei cre-
atura ex nativitate carnali, rursus tanto motimine per spiritualē
regenerationem, & novam nativitatem, ex aquâ & spiritu, imò &
ex Deo ipso fieri bonam Dei creaturam in Christo Iesu: Quæ est cō-
fusio non ferenda bonitatis in homine transcendentialis, substancialis,
quà ut creatura Dei spectatur, quo respectu, & in Dia-
bolis aliquam adhuc Deo creaturam præstantem superesse
fassus est ipse Flacius; & bonitatis spiritualis, ac supernaturalis,
quam nullam habet, nisi per regenerationis gratiam.

§.XXX. Πρῶτον δὲ ἐνδεκτὸς erroris est, quod nesciverit distin-
gvere Flacius inter ἀταξιαν & subiectum, cui adhæret illa, vel
inter formale & materiale peccati: ut è responsione ad Epistolā
Jac. Andreæ liquet, qua non tantum inanissimam vanitatem,
sed etiam impium Sophistarum delirium vocat, cum distinguitur
inter rationem & vitium vel deordinationem ejusdem, vel defectū
actus illius, aut motus mali, in quantum actus aut res positivæ sunt,
ac à Deo, ideoq; peccatū esse non possunt; pravitates v. carū vel vitia,
defectus, aut inordinationes sint à Diabolo; ac pariter distinctionē
inter hominis naturā, quæ à Deo est & non à Diabolo; & viti-
um

um hærens in natura, quod à Diabolo est, reprobat. Quod
v. discrimine reprobato non potest non Deus causa peccati
statui: Si enim actio, motus, substantia, quæ à Deo est, peccatum
est, necessariò relinquitur Deum, ejus causam, autorem pecca-
ti esse. Nec est, quod dicat Flacius, non Deo, sed Diabolo ho-
miniq; culpam mali adscribi. Deum a. nunc, ut Lutherus & Phi-
lippus de istâ præsenti propagatione loquuntur, perinde ex prâvis
parentibus pessimos liberos propagare, unum veterem Adamum,
ex alio, sicut si optimus, statuarius ex putri ligno putres statuas
fabricetur: Tripl. Consens. C.4. Sic enim expedire quidem
sese poterant B. Lutherus & Philippus, qui inter subjectum &
accidens adhærentem distinguebant, ita ut illud Deo tribueret-
tur, hæc verò Diabolo, & homini: Sed quum eam distinctione
explodat Illyricus, necesse est, fateatur, Deum, cum liberos
propagat pessimos, non tantum concurrere ad opus propaga-
tionis, & substantiam, sed etiam ad ipsum peccatum, signifi-
candam substantia ipsa peccatum sit, ejusq; causam primam esse;
quod planè impium est. Monuit de eo Philippus in Locis Theo-
logicis Cap. de causâ peccati & de contingent: ut discernan-
tur res conditæ à D E O , & peccatum quod est conturbatio, seu
confusio ordinis divini, adeoq; rectè dici, peccatum est defectus,
seu privatio, ut Dialectici loquuntur: Item est in mente tenebra,
hoc est, non habere illustrem notitiam & firmum assensum, & in
voluntate aversio, id est, sine metu & fiduciâ, dilectione Dei esse, & in
corde sine obedientiâ esse, quæ congruebat legi naturæ &c. Hæc
mala defectus esse non obscurum est: nec sunt res conditæ à Deo, sed
horribilis destructio humanae naturæ: Non est igitur causa peccati
Deus, qui et si juvat, & conservat propagationem substantiæ, tam
servat talem massam, qualis nunc est, ut si faber poculum non ex au-
ro, sed ex plumbbo faciat. Ac ipsi destructioni vere & horribiliter
Deus irascitur. Misit enim Filium ad hanc iram placandam.
& ad sanandum vulnus naturæ. Intelligi igitur potest, D E U M
nec causam esse vitii nobiscum nascentis, nec velle id malum, nec ap-
probare. Hæc Philippus: qui sophisma hoc resolvens, pec-
catum non gignit hominem, opus concupiscentiæ gignit hominem. E.

concupiscentia non est peccatum : Ad posterius , inquit , Augustinus contr. Julianum propemodum , ut nius in pice , hæret , in hujus argumenti refutatione : cum Dialectico facilima sic explicatio . Neganda est Minor , quia concupiscentia vitiosa , quam sic vocant usitate , est *ἀταξία* , quæ accessit ad naturam divinitus conditam , & eam deformat , nec est res gignens substantiam ; sed res gignens substantiam est ipsa natura à Deo condita , quam ab *ἀταξίᾳ* prudenter discerni necessum est . Quam verò quia distingvere non voluit Flacius , evadere non potuit , quin Deum peccati originalis autorem adsereret , utpote qui autor est nostræ substantiæ ; vel nos , qui jam nascimur , post lapsum , non Dei creaturas , sed Diaboli esse , statueret . Unde modò in illud , modò in istud , (utrumq; & què impium) paradoxon , etsi verbis quandoq; protestetur , hanc mentem suam non esse , eamq; emollire fategerit , nolens volens incidit . De Deo quidem benedicto hæc eructare (ut è multis pauca tantū feligam⁹) nō dubitavit *ἀνέσματα* : Deus ipse , inquit , nunc istud lapideum cor & istum veterem Adamum , ex suo Patre , vetere Adamo , *MALAM* nēpe massam , de malâ , & (sicut Christus loquitur) genimina viperarū *ex viperis* , *FORMAT* , *GENERAT* ac *CONSERVAT* : in Clav. part. II. Col. 671. Jam qvum istud cor lapideum , veterem istum Adamum , massam malam ipsum peccatum originale esse dicat Flacius , quid certius , quā qvod statuat , *Deū peccatum ipsum formare , generare , ac conservare* . Unde in Confessione f. 212. afferere non veritus est ; *DEUM totum istum hominem* , *QVANTVS* , quantus nunc ex utero matris suæ exit , cum *OMNIBVS suis substantiis , & accidentibus CONDERE ac FORMARE* , qualescumq; ejus substantiae , aut accidentia sint ; putâ sive bona sint , sive *MALA* , uti habet fol. 357. sive sint *VITIVM NATIVVM* , sive virtus , f. 213. *FORMAT* itaq; *GENERAT* que DEUS , juxta Flacium originale peccatum . Si DEUS CONDIT , ac *FORMAT* hominem , qualiscunq; , & quantus quantus est cum omnibus substantiis & accidentibus , bonis atq; *MALIS* , & cum *VITIO NATIVO* , eum autorem & causam esse peccati , nemo sanus ambiget . Neq; v. dissimulat plànè

nè se Deum autorem peccati aliquo modo facere, tantum negat se ipsam primarium ejus autorem docere. Verba ejus sunt in Clav. l. c. propterea non est aut hujus tanti mali, aut lapidei coridis *P RIMARIVS* autor, sed conservat tantum veteris *Adami* speciem. Nec v. CONSERVARE tantum Deum dixerat, sed FORMARE etiam, ac GENERARE, & CONDERE veterem illam speciem, quam quum ipsum & peccatum originale esse credat, fateatur, oportet, *Deum formare, condere, ac conservare peccatum originis.* Nec effugere potest consuetâ exceptione, quod causa prima suâ generali motione ex secundis malis causis malos effectus producat, quam in differentiis veræ primæque creationis, & præsentis propagationis latius prosequitur. Si enim causa prima, motione generali ad hunc substantialē effectum, qualem somniat Flacius peccatum originale esse, concurrit, verè erit peccati causa etsi prima saltim & universalis: quemadmodum verè hodiè est DEUS animæ & corporis nostri causa, utut tantum generali motione ad propagationem humanæ speciei concurrat: aut fingendum erit, quandam substantialē produci, independenter à Deo, seu non dependere à Deo inferi. Quod alterum est absurdum, & paradoxon, in quod imprudens, ubi prius declinare vult Illyricus, sese præcipitat: istam ipsam corruptam & præpotentem naturam, aut rem esse à Sathanā ut habet δημόσιον; in demonstratione, fol. 120. Homo non renatur, inquit in Clave p. II. col. 675. aut vetus est diaboli opus, conditus ad opera, quæ ei præparavit, ut in eis versaretur. Et paulò post: Sathan animam rationalem sic transformavit, & fabricavit, refudit, aut recoxit, ut sit viva ejus imago, sitq; mater, fons & causa omnium malorum, ipsiq; suo NOVO FIGILIO promtissime serviens. Hic igitur ipse Novus Sathanæ Homo & Filius Diaboli, nempe ejus distortum cor, & mala mens, pessimusq; animus aut imago Sathanæ est illud originale malum, aut peccatum. Quid quod asserat Col. 662. ipsam substantialē esse illud originarium malum, illud diversum monstrum à Diabolo per apostasiam hominis CONDITUM, non aliquid aliud illi adjunctum, aut inherens. Nequicquam verò emollire φορτιὸν ἀκεσμα ibidē conatur: Dico CON-

E 3.

DITVM



DITVM esse illud malum, non per creationem ex nihilo aut aliam quampiam rectam generationem, sed per transformationem, & transfigurationem seu inversionem & perversionem optimæ substantialis forme hominis in pessimam. Non enim creatio tantum est, cum aliquid è nihilo immediatè producitur, sed etiam cum substantia in substantiam aliam toto genere diversā transformatur, v. g. Cum aqua in vinum transformata fuit. Tùm si maximè creator non sit dicendus Sathanas, substantia tamen illa mala saltim ab ipso producta fuerit independenter à Deo necesse est, siquidem Deus peccati causa NULLO modo statui queat. Manet itaque immotum dilemma, aut substantiam illam pravam à Deo esse autore, aut si tantum à Diabolo est, Diabolum substantiam aliquam produxisse independenter à Deo: atq; ita duæ causæ primæ independenter agentes statuentur, DEVS autor boni, & Sathanas autor mali, ut ut ille ex nihilo bonum creasse, hic verò per transformationem substantiæ bonæ in substantiam malam, peccatum condidisse dicatur.

§. XXXI. Sed hæc de Flacii ipsius Paradoxis; quæ verò absurdius longè sectatores ejus nonnulli propugnarunt novisque, haud paulò absurdioribus, paradoxis locupletarū, & inter hos M. Christophorus Ireneus, qui ne quidem post publicatam Formulam Concordiæ, à portentis solidè in eâdem profligatis desistere potuit, inò adversus Concordistas & Accidentalistas, quos vocat, tueri veritus non est, ac defendere, DEum non solum homini peccatori, sed peccato ipsimet propitium esse, ipsum peccatum originis, in gratiam recipere, Christum redemisse ipsum originis peccatum, Spiritum S. ipsum peccatum sanctificare, peccatum originis baptizari & regenerari, tandemq; salvari. Quæ paradoxa, ne excidisse forte homini, aliud agenti, videantur, magnâ vehementiâ propugnare ipse sategit in Examine. Anno c1510 XXCI. adversus librum Concordiæ edito, im Wechterhōrnlein/ &c. quæm Dn. D. Timotheus justo elencho im Gründlichen Warhaftigen Bericht/ ut & Dni. Theologi Jenenses im Tract. vom Flickwerk M. Irenei, aliique refutarū. Conferri de his poterit Dn. D. Leonh. Hutteri explicatio Formulæ Concordiæ artic.I.p.41. Plura de Flaciano portento, aliisq;

isq; ad naturam peccati originalis explicandam facientibus
chartæ excludit angustia, quæ ad aliam proinde occasionem
reservanda.

§.XXXII. Summam tantum complectimur tribus, quod
dicitur, verbis, de illis, quæ ad exprimendam differentiam spe-
cificam, ut ita vocare liceat, peccati originalis faciunt; Desu-
ta illa est (1) à Subjecto, quod sunt omnes, post lapsum Adæ, ho-
mines. Non excipienda hic MARIA, quam conceptam, nec
Johannes Baptista vel Jeremias, quos natos in originali pec-
cato negant Papista: Nullus etiam locus figmento nupero
de Melchisedech, omnis peccati experite, qui extiterit per im-
mediatā Dei Creationē, nullū vitæ finem habiturus, Rex in Hieru-
salem, & Sacerdos, assimilatus filio DEI, id est, Adamo, qui Lac. III.
38. peculiariter filius Dei dicitur; Quod circā locum Ebr. VII. ab
anonymo, nescio quo, protrusum. Solus n. Christus hoc gau-
det privilegio, quod ἀναπάτητος sit, omnes alii homines, citrā
diabolū, peccato obnoxii sunt, & caro de carne nascuntur. (2)
Causā effidente, remotā cum lapsu Adæ: tūm propinquā, utpote
propagatione carnali, secundum naturam facta, non solius
corporis, sed totius hominis, corpore, & animā, quæ πρωτον
debet peccati est constantis. Unde animam per traducem pro-
pagari oportet. Quod adversus Novatores, eorumq; in hac cau-
sā Patronos, creationem animarum immediatam propugna-
tes, adseruimus Harmon. Calixtino-Hæret. Seçt. II. cap. III. Sub-
seçt. II. p. 461. seqq. (3) Causā formalī. Consistit enim peccatum
originis non tantum in separatiōne justitiae originalis, siquidem sine
metu, sine fiduciā erga DEVINAM nascamur, sed etiam in desiria pra-
væ concupiscentiæ. De quo in Harmoniâ Calixtino-Hæreticâ I.
c. p. 396. seqq. (4) Consequente reatu: quod peccatum originis
verè damnet, & afferat nunc quoq; attrinam mortem his, qui non re-
nascuntur, quod contrā Pelagianos, Papistas, & Zvin-
glium alias asseritur. Hic tela abrumpenda.

SOLI DEO GLORIA,

• 8 (***) 80



PRÆSTANTISSIMO

D N O.

BARTHOLOMÆO BATTI, DN. D. ABRA-
HAMI THEOLOGI GRYPHISVALD. AMICI SVI
ANTIQVI ET CONVICTORIS ACADEMICI,
FRATRISQ; IN CHRISTO COLENDI,
Filio haud de generi

L Onga ars vita brevis. BATTE hoc perpendis utrūq;;
Hinc properas: Segnes, quos mora longa tenet.
Scilicet egregium dignè retulisse PARENTEM
Et labor est; magnæ sed quoque laudis opus.
gratulatur.

Abraham Calovius, D.

I Cta velut sœvô Libyci calx dente colubri,
Relliqua per tacitè membra venena vehit.
Aspidis heu! stygiæ sic morsibus ictus Adamus
Transtulit humanum virus ad omne genus!
Hæc tu lætiferi contagia fœda parentis
Rimaris, Clarij gemma corusca chori.
Gratulor: Æterni Genitoris numina nosse,
Atq; suum, Sophie est maxima, nosse genus.

Jacobus Ludovici, Pom. S.S.

Theol. & Phil. Studiosus.

H Aetenus assiduis doctorum Scripta virorum
Volvisti manibus, Biblia Sacra quoq;;
Testis ego, Tecum qui papilione sub uno
Vixi, Testis & est arduus ipse Labor,
Quem modo suscipes, docti dum munia BATT E
Nunc Respondentis ritè subire cupis.

Laudo tuos ausus meritò, sic pergit Amice,
Patria tunc certè ccommoda mille dabit.

Laurentius Vogtt/ Thoruniô Prussus.

F I N I S.




05 A 549

ULB Halle
004 208 420

3







I. N. J.
DE
NATURA PEC-
CATI ORIGINIS
DISPUTATIO THEOLOGICA.

QVAM

publicæ sententiarum collationi
exponit

*VIR Admodum Reverendus, Amplissimus atque
Excellentissimus.*

DN. ABRAHAM CALOVIUS
S.S. Theologiæ D. & Professor Publ. celeberrimus,
Ecclesiæ Wittebergensis Pastor, & Consistorii Ad-
sessor dignissimus, totiusque Circuli Electoralis Sa-
xon. Superintendens gravissimus

RESPONDENTE

BARTHOLOMÆO BATTO,
Gryphisvvaldensi Pomerano.

*Ad d. 17. Julij in Acroaterio Majori
horis antemeridianis.*

WITTEBERGÆ
LITERIS JOHANNIS HAKEN, An. 1656.